

& Stagiris in museo populus alba procidua. Medulla exempta nulla ferè arbor moritur: argumentū, quod multæ arbores magnitudine excellentes cauantur, inanesq; fiunt. Arcades quadantenus si eximatur, uiuere dicunt: tota uero ex uniuersa arbore exempta, & pinum, & abietem, & reliquas omnes interire.

Quæ mors communis omnibus: oleumq; necare omnia. Item de cytiso, & edera, atq; aurone pernicioso. Quodq; brassica temulentiam propulset. Cap. XX



Communis omnibus mors, & si radices amputentur, uel omnes, uel plurimæ, & quæ maximæ sint, uitalesq; in primis: igitur hos interitus ex demptione dicendum. Qui autem oleo consequitur, adiectione uerius quadam, quàm demptione incurrit: quippe oleum omnia necat. Qua de causa radicum extirpandarū reliquijs oleum infundunt. Vallet oleum magis in nouellis, & in præsens nascentibus, sunt nanq; debiliores: quæ propter & tangi eas agricolæ prohibent. Necantur & inuicem inter sese alimentis rapina, & ceteris in rebus impedimento. Molesta & edera adnascens, ac uinciens: molestus & cytissus, nam omnia ferme necat: sed eo ualentior auro est, hic enim uel cytissum ipsum interimit. Quædam non necant, sed succi, odorisq; uiribus reddunt deteriora, ut brassica, & laurus uitem offendunt: olfacere quippe eam, & attrahere dicunt: quamobrem germen cum illis propinquum fuerit recedere, atq; auerti, utpote inimicum fugiens odorem. Androcides exemplo hoc usus est: de medela contra uinum confecta, ex brassica uidelicet, temulentiam posse propulsare: quippe cum uitis etiam uiua, odorem brassicæ fugiat. Interitus itaq; quo pacto fiant, quot sint, quotq; modis eueniant, ijs, quæ explanauimus, patet.

HISTORIAE PLANTARVM LIBRI
QVARTI FINIS.

THEOPHRASTI DE HISTORIA

PLANTARVM LIBER QVINTVS.

De cædenda materie tum rotunda tum quadrata, quandoq; cædendum robur. Cap. I



DE MATERIE, cuiusmodi unaquæq; sit, & quo tēpore tempestiue cædat, & quibus cōmoda operibus cōstet, & quæ tractatu difficilis, facilis ue, & quicquid eiusmodi cōmentationē contingit, æque atq; superiora, explicare tentandū nunc est. Cadi itaq; tempestiuū, rotundā quidē materiem, & oēm quæ decortican- da accipit, cū germinare incepit: tunc em cortex extricatu per- facilis est: quod turgere appellant, scilicet ratione humoris, qui sub eo cortice fieri solet: postea inextricabilis reddit, materiesq; nigrescit, informisq; fit. Quadrandā autē post turgorem, securis autē deformitatē aufert. Deniq; omne, quod pro ualido capi oporteat, tempestiuus cædit, nō solum cū germinare desierit, sed etiam cū fructū percoxerit. Verū decorticationis causa fit, ut rotunda, quanq; intempestiua, pro tempestiuis ad usum ueniant. Quāobrem tēpora per euentū dici contraria debent. Abietis materies primo turgore coloratior reddit: nam & corticem abietis tamē, & pinī, & laricis potissimo detrahunt. Igitur istæ Vere cæduntur, tunc em germinant: reliquæ aliquādo post messem, aliquādo post uindemiā, & Arcturum, ut aria, ulmus, acer, fraxinus, carpīnus, scissima, tilia: ad summā, quæ aptæ obrui sunt. Robur ferissime cædendū, uidelicet hyeme post autumnū: qd si sub turgore

gore cædatur, citissime omnium ferè computrescit, seu cum cortice, seu sine cortice capiatur: potissimum, quæ primo turgore: proxima, quæ secundo: tertia, quæ tertio: quæ autem post fructuum maturitatem cædantur, quamuis non turgida sint, incorrupta perdurant, præterquam quod sub cortice uermiculi quidam nascentes, caudicem per summa inscribunt. Quibus signis pro sigillis nonnulli utuntur. Robur profectò cæsum tempestiue, neque putredinem sentit, & prædurū, spissumque ad similitudinem cornu perdurat: totum enim cordis specimen gerit. Salsicortex tamen uel eo tempore cæsa uincitur. Quin & illud è contrario euenit, cum in germinatione cæduntur, cumque post fructus æditos: tunc enim exiccantur caudices, & arbores radicitus regerminare minime possunt, sed post fructus regerminant: quamquam eo tempore cædi difficilius possint. Duritiæ causa cædi etiam post lunæ occasum præcipiunt, quasi duriora, & computrescere peruicaciora forent. Sed cum maturitates fructuum inter se differant, constat quod etiam uigores arborum referre ad cædendum est necesse: semper enim serotinarum magis cæsuræ serior. Qua de causa particulatim quidam expedire conantur, ut pinum, & abietem cædi oportere cum germinare incipiunt: scissimam, tiliam, acerem, carpinum autumno: robur (ut diximus) post autumnum. Sunt tamen qui etiam id tempestiuum in Vere existimant, cum amentum, quod uocant, gerit: & piceam, cum uua eius florere incipit. Quæ igitur tempestiua omnibus annis cæsiō sit, hunc ferè in modum denotatur.

10 Certo autem constat, quod uigentium arborum melior, quam nouellarum, uel annosarum materies est: quippe cum earum altera plus terræ, altera plus aquæ contineant. Vfus uero plurimos, maximosque, pinus atque abies præstant: harumque materies amplissima, & pulcherrima constat.

De differentia, quæ inter abietem, atque pinum. Tum quæ quadripartitæ, bipartitæque, ac simplices dicantur. Quæ fabri lignarij breuia appellant. Cap. II

10 **I**stant istæ inter se multifariâ. Pinus enim carnosior, neruisque paucis est: Abies neruacior, atque rigidior, ita ut utrunque è contrario habeat neruos ualidos, carnem mollem & raram: qua de causa altera grauis, altera leuis est: altera enim teda referta est, altera nullam ingerit tedam: ob id etiam albior est. Ad hæc pino rami plures, abieti longe duriores, uel potius & omnium ramorum durissimi: ambabus spissi, & cornu sanè imitantes, colore flauo, & tedæ similes, qui cum abscissi fuerint tam pino, quam abieti, humor defluit, sed abieti largior est. Præterea tunica multiplici abies, modo cepæ: assiduæ namque tunicæ conspectæ subditam aliam gerit, atque ex his tota constat. Quapropter qui remos dolant, singulatim, pleneque auferre conantur. Nam si ita auferantur, remus ualidus relinquetur: si autem permutauerint, nec pariter dempserint, infirmus reddetur: hunc enim in modum ictus, illo demptio fit. Est etiam excelsior, atque procerior abies: ideoque antennas, malosque ex ea facere assolent. Habet & uenas, neruosque omnium nobilissimos: crescit hæc primùm in excelsum quoad libere solem accipiat. Neque ramus ullus, neque germinatio lateris, neque crassitudo interim facitatur: post in profundum latumque incrementa capessit, atque ita ramorum exortus, & laterales germinationes sequuntur. Hæc abietis propria: illa uero & pino, & abieti, & alijs communia constant: alia enim quadripartita, alia bipartita, alia simplex. Quadripartitas appellant, quibus in utranque partem medullæ, bini uenarum cursus naturæ contrariæ pertendunt: atque per utranque cursum adigunt ictus, cursibus contrarios inferentes, dum in utranque partem medullæ securis remeat. Ita enim eueniat necesse est, naturæ uenarum ratione. Ergo tales abietes, pinosque quadripartitas appellant, & easdem ad opera uehementer probant. Materiem enim spississimam præstant, & ægidem gignere istæ solent.

Bipartitæ illæ cursum uenarū unum tantum in utranq; partem medullæ gerunt, eosdemq; inuicem contrarios habent, ut & securis duplex adigi debeat, simplex per utrunque cursum ictu contrario: mollem hanc materiem refert, sed in opere pessimam, quoniã maiorem in modū peruertitur. Simples uocant quæ unū duntaxat uenarū habent cursum. His itidem securis utraq; ex parte medullæ adigitur: laxiorem natura materiem hanc esse affirmant, sed à peruersione tutissimã. Discrimen arbores suis corticibus ostendunt: quãobrem ubi primum arborem uiderunt, cuiusmodi sit, discernere queunt. Quibus enim uenæ egregie perfluunt, quæq; in opere obediunt, his cortex leuis, rectusq; est: quibus autē e contrario, his scaber, contortusq;. Atq; de reliquis eadē ratio est. Sed quadripartitæ pauca, simplices, plures, 10 quàm reliquæ comperiunt. Omnis autē materies amplior, procerior, obediens, solidior, atq; in totū melior, & copiosior, quæ partibus aquilonijs exit, ut etiam prius retulimus. Et ipsius arboris partes, quæ aquilonē aspiciunt, spissiores, adulescentioresq; constant: quæ uero ab latere, aut in orbe perflant, hæ uertunt, cōtorquenturq; aquilone, ut medulla earum contorta sit, nec in rectum porrecta. Hęc integra quidē ualida esse credunt, cæsa autem imbecilla, quod plerasq; habent diuersitates. Breuia hæc fabri lignarij uocant, quoniam ita pro usu cædere consueuerunt.

Quæ neq; ad fabrilem, neq; ad ignarium commoda. Quæq; fabрили usu materia, quibusq; in terris præstantissima sit. Tum quid orbes in ligno. Deq; stimulo in lapide, & oleastro, in quo præscisso inuentæ dicuntur ocreæ. Cap. III



AD summã, quæ humidis, tranquillis, umbrosis, contactisq; locis assurgunt, deteriora tam ad fabrilem, quàm ad ignariū usum ueniunt. Ergo huiusmodi differētia, pro locis (ut simpliciter loquar) unigenorum ipsorū adnotant. Quidã enim per tractus diuidunt, aiuntq; materiem optimã omnium quæ in Græciam aduehunt, macedonicã ad usum ædificatoriū esse: leuis enim est, obediens, & tyium nimirū continens: secundã ponticã tradunt, tertiam rhyndacicam, quartã æanicam: deterrimã parnasicam, atq; euboicam: nodosa enim & aspera, & citò putrescens. De Arcadia animaduertendum est. Robustissima, quæ enodis, leuisq;, eademq; uisu pulcherrima est. Nodosa certe, aut 30 male adulta, aut hyeme oppressa, aut aliqua similitudine efficitur: in totū enim nodositas probæ nutritionis indigentia est. Sed postq; nutrita improbe fuit, si commo- do nutrimento potita se recreet, atq; ita proficiat, fit ut nodi absorbeantur incremento obducto. Probe etenim coalescēs, gliscensq; superne obducitur, & sape quæ de foris leuis cernere, scissa nodatissima extitit: qua de causa medullas conspiciari scissum solent. Nam si nodis istæ transfixæ sint, extrã quoq; habeant nodos necesse est. Fiunt & orbes, hyemis, improbaq; nutritionis causa. Orbes autē uocant, cum facta conuolutatio quædã ampla, circulis pluribus circumacta sit, quã neq; nodum omnino dixerim, neq; ipsius crispitudinē ligni: hæc enim per totū ferē, atq; equaliter ampliatur. Longe id iniquius, tractatuq; difficilius, q̃ nodus artificij obstat: proxime 40 me, atq; in lapide, qui stimulus uocitat, nasci omnino uidetur. Nodos autē obducto incremento occupari, atq; in plenū integri, sensus ipse percipere euidentissime potest. Cæterū uel ex alijs perquam similibus rebus, id ita fieri constat: sape enim pars arboris comprehensa ab altera proxima est, atq; in eiusdē corporis magnitudinē coagmentata: & si lapidem, aut aliquid simile arboris alæ inculcaueris, demū insinua- bitur, atq; occultabit amplexu auctioris obductæ: quod etiam in oleastro, qui Me- garis in foro stabat, euenisse accepimus, quo succiso, urbem capi, ac diripi oraculum erat, sicuti actū est. In hoc em̃ præscisso, repertæ ocreæ sunt, & alia quædã Attici ritus: parte qua primū affixa fuere, ad ramorū ambitum concauata. Huius oleastri, quod adhuc

adhuc superest, parum admodum extat. Alijs quoque locis permultis complura eiusmodi facta produntur. Sed hæc (ut dictum est) pluribus publica habentur.

De arborum qualitatibus, & quæ spississima, ac durissima, mollissimaue: quæq; calidissima, frigidissimaue, necnon quæ lenta, & rigida sint materie.

Cap. IIII



Ro natura autem singularum arborum propria discrimina assignantur, spissitas, raritas; grauitas, leuitas; duritia, mollitia, & si quid eiusmodi aliud perspici potest. Quæ cum omnium urbanarum pariter, & syluestrium communia sint, de omnibus uerba faciamus oportet. Ergo spississima, grauissimaq; buxus tota; ebenus sua tantum medulla, in qua & coloris nigredo constat. Ex reliquis celti primatus indubie datur. Spissa & roboris medulla, quod atrum cognominant, atq; etiam magis carysi, quippe cum hæc proxima ad ebenum accedere uideatur. Nigra admodum, spissaq; terebinthus est, & quidem Syriæ uel ebenu nigriorem ipsam esse affirmant: & capulos quoque pugnorum ex ea fieri, & pocula thericea tornari, quæ à fictilibus secerni non possint: uerum cor tantum accipi, & perungi materiem oportere uolunt. Sic enim & meliorem, & nigriorem effici posse. Quin & aliam arborem reddunt, quæ cum nigredine uarietatem quandam præ se fert subrutillam, ut aspectus ebeni uersicoloris appareat, fieri ex hac lectos, & subsellia, & reliqua lautiora opera narrant. Amplam maiorem in modum, & frondibus conditam pulchris, similemque piris eam assignant. Sed hæc spissitatem quoque unâ cum nigrore sortiuntur. Spissæ autem acer, & carpinus, atque in totum omnes crispæ: ad hæc olea, & oleaster. Raræ corpore inter syluestres, tectisq; idoneæ, abies maxime: inter reliquas autem sambucus, ficus, mælus, laurus. Durissima roboris, carpini, arietisq; materies: hanc enim antequam terebrent, madefaciunt, quò scilicet molliorem reddant. Molles in uniuersum, quæ raræ corpore, ac solutæ constent. Tilia inter carnosas præcipue mollis, necnon & calidissima eadem esse uidetur, indicium quod aciem ferri maxime hebetat: tincturam enim uisui sui caloris perlaxat. Edera quoque calida est, & laurus, atque in totum omnes, quibus facere ignaria solent. Menestor, & morum addidit. Frigidissima, quæ aquatiles, aquosæq; sint. Lenta salix, uitisq;: qua de causa scuta ex his facere solent: icta enim protinus plagam contrahunt: sed leuior salix: rarior enim, & ob id ea magis utuntur. Platanus lentore non caret, sed hæc natura humilior est, sicut etiam ulmus: indicium, quod post cæsuram, erecta materies multum humoris emittit. Morus spissa, simulq; lenta est. Rigorem quoque fortissime ulmus seruat, ob id ulmeos cardines ualuarum adiungunt. Nam si ipsi firmi permaneant, ualuarum quoque stare intortæ possint: alioquin torqueantur necesse est. Faciunt eos ligna permutantes, quod radicem uersus, quodq; in cacumine fuit. Sic enim inter se coarctata, utrunque impetum alterius prohibet, cum suapte natura aduersetur. Nam si alterum per naturam eodem tendat, quò momentum est, ruina utique eodem sequi facile possit. Valuas autem non statim apponunt, sed compactas statuunt. Nonnulli anno tertio confectere, lautioris operis desiderio: nanque æstatis calore exiccata dehiscunt, hyemis uero humore oppletæ coherent: ratio, quod rara, carnosæq;, facile autem attrahant humectum. Palma leuis, tractatu facilis, mollisq; est, quemadmodum suber: sed melior subere, quia lenta: suber enim rigidum est. Quapropter simulacra nunc ex palmis condere inceperunt, sprete suberis materie, ut incommoda. Neros non per totum corpus expandit, neque prolixos extendit, neque eodem posituræ modo cunctos porrigit, sed multifario. Sicari hæc materies potest, & cum dolatur, & ferratur.

Thuium, quod & Thuia dicitur, nasci apud sanum Ammonis. Ex quibus item simulacra deorum fieri solita. Quae ponderosa simul ac dura, quaeque discordent. De nuce euboica, iisque quae perpetua sunt natura: tum quae cariem, ac tineam sentiant, aut non sentiant: deque teredine, tinea, & uermibus, qui in materie nascuntur.

Cap. V



Huium, quod thuia ab alijs appellatur, nascitur apud Ammonis sanum, atque in Cyrenensi agro, forma cupresso similis, cum ramis, tum folijs, caudice, fructuque: uel potius ceu cupressus syluestris. Copiosam uel ubi urbs hoc tempore est, comperiri affirmant: atque etiam memorant contignationes quasdam uetustissimas thuiæ. Perdurat enim materies hæc incorrupta omnino. Radice huius arboris nihil crispus, eaque preciosa opera conficiunt. Simulacra ex his sculpere solent, cedro, cupresso, loto, buxo: minora etiam ex olearum radicibus: rimas enim istæ non capiunt, & carnis æqualitate quodammodo constare uidentur. Hæc igitur proprietatem quandam locorum naturæ, ususque ostendunt. Ponderosa autem, leuiaque, ex spissitate, raritate, humilitate, lentitate, siccitate, rigiditate, duritate, mollitudineque accepisse oportet: quaedam itaque simul, & dura, & ponderosa sunt, ut buxus, ut robur. Quae autem rigidae, atque durissimæ sint, hæc ponderosiores, in totumque robustiores, quod etiam antè retulimus. Quin & minus fecundæ fecundioribus, & deterius fructificantes, probius fructificantibus, tota quasi ex parte firmiores, nisi usquam mas fructuosior esse soleat, ut alias quasdam affirmant, & cupressum, cornumque. Verum inter uites quidem, quae minus fructificant, gemmis crebrioribus constant, solidioresque sunt: idem etiam in malorum, reliquarumque urbanarum genere patet. Natura perpetua, cupressus, cedrus, ebenus, celtis, buxus, olea, oleaster, pinus, quae tadam gerit, aria, robur, nux euboica. Sed diuturnior inter has cupressus uidetur: itaque in Epheso cupressina materies, ex qua ualuae templi Dianæ, quatuor ætates reseruata durauit. Sola hæc nitorem etiam recipit, ideoque ex hac condere operum lautiora consueuere. Ex reliquis post cupressum, ac thuiam, morum æternam potissimum esse arbitrantur, simulque ualidam, & in operibus facile, atque uetustate nigrescere modo celtis. Item alia in aliud, & in alio perpetua: exempli gratia, ulmus in præfatu. Robur defossam, atque in aquis demersam, putredine quippe immune hoc omnino uidetur, ob id fluuijs, lacubusque naues hac etiam materie condunt: sed mari putrescit: quanquam reliquæ magis durare ualeant: quod quidem & ratio uult, utpote cum sale maceratae, conditæque sint. Fagus quoque, siue scissima in aqua permanere posse incorrupta uidetur, madefactaque melior reddi. Quin & nux euboica nequaquam putrescit. Dicunt & pinum plusquam abietem corrodi à teredine posse: hanc enim esse amaram, pinum uero dulcedinis non nihil habere, eoque magis, quo fuerit teda refertior. Omnes teredinem sentire affirmant, præterquam oleastrum, atque oleam, quas amaritudinis causa neque teredo, neque tinea rodit. Quae mari putrescere aptæ sunt, erodi & teredine solent: quae autem terra, uermiculis, tineisque. Teredo enim non nisi in mari nasci potest. Est autem ipsa teredo, corpore parua, capite magno, & dentibus. Tineæ uermiculis similes constant, quibus paulatim materies perforatur: sed hæc curari facile possunt. Nam si offensa materies trahatur in mare, durare nimirum ualet. Quae uero teredinem senserit, curari hæc nihilo potest. Vermium autem, qui nasci in materie solent, alij putrescente ipsa materie generantur, alij parientibus alijs uermibus: pariunt enim uel in cæsa materie uermes, quemadmodum in arboribus, qui cerastæ uocantur: cum scilicet ram eroserint, atque excauauerint, ut se circumagere possint. Fugiunt ligna colorata, amara, duraque: quoniam hæc erodere

erodere nequeant, ceu buxum. Tradunt etiā abietis cum germinat decorticatā materiā aquis inoffensam durare nimirum posse. Patuit id apud Phneum Arcadiæ, cum obstrusis faucibus campus in lacum redundauit: tum enim ductis pōtibus ex abiete, cum amplius extumesceret aqua, alijs super alijs fabricatis, postea extrusis obturamentis unda erupit, discessitq̄, uniuersa materies incorrupta comperta. Sed forte hoc, casuq̄ innotuit.

In Tylo insula Arabiae materiem esse, ex qua fabricatae naues incorruptae penè in mari perdurent: tum de materijs cōdiendis, inueterādisq̄: & quae materiae faciles in opere, & quae difficiles, & cur cerdones ex piro syluestri tabulas faciāt, ac quomodo circi intorti permaneant. Caput VI

IN Tylo autem Arabiae insula materiem esse affirmant, ex qua naues ædificant, quæ mari incorrupta penè perduret: quippe cum annos plusquam ducētōs demersa immunis ab omni offensa seruetur. Extra aquam diuturna quidē eadem est, sed nō tantundem: ocytus enim putrere incipit. Quin & illud tractus eiusdem mirādum referūt, quanq̄ nil ad putredinem spectans: arborem enim constare ex qua baculos cædunt, pulchrosq̄ admodum faciūt, nec sine uarietate quadā coloris, pellibus tigrīū proxima: ponderosam unice materiam hanc affirmant, cumq̄ in solidiora quisq̄ proiecerit, modo fictiliū fragilem. Addunt etiā tamaricis lignum, nō ut apud nos, imbecillum, sed ualidū, sicut iligneū, aut aliquid ferme materiae huiusmodi, ibidē cōperiri. Id igitur loci coeliq̄ discrimina, uiresq̄ indicat. Materiem autē unigenam, ceu roboream pineamq̄ cum condiūt (cōdire nanq̄ consueuerūt) nō pari altitudine maris uniuersam demittunt, sed aliam iuxta terrā, aliam paulō superius, aliā altitudine ampliore: sed quæ radici proximiora sunt, citius descendūt: uel si fluitēt, plus deorsum uersus sanè inclinant. Materierū item alię in opere faciles, alię difficiles: faciles, quæ molles, & omnium præcipue tilia: difficiles, quæ duræ, nodosæ, crispæ, conuolutionibusq̄ perplexæ. Aria, roburq̄ omnīū difficilimæ. Sed quoad particulatim reddere liceat, pini, & abietis nodus difficilimus constat. Semper autē inter unigenas mollior durior præstātor: carnosior enim: & quidem fabri hac de iudicādis asseribus rationē utūtur. Ferrū uitiatam, duramq̄ materiā magis, q̄ mollem cædere ualet, etenim in molli obtunditur, ut de tilia dictū est: contrā in dura acuitur: qua de causa cerdones ex piro syluestri suas tabulas faciūt. Medullam (ut fabri aiūt) omnis habet materies, sed conspecta potissimū in abiete. Eius nanq̄ orbiculorū compositio corticea inspicitur, quod nō æque in olea, buxo, atq̄ similibus: quamobrem quidā buxum atq̄ oleam medulla omnino carere existimant: has enim minime omnīū distrahi posse. Est autē distrahi, ut mota medulla, cōtorqueatur materies: uiuere enim diu uidetur. Quamobrem quidā undiq̄ simul demere solent, sed præcipue ex circis, quò intorti permaneāt, ideoq̄ scindūt. At uero absurdū putaueris, rotūdæ materie medullam illæsam atq̄ immotā posse edurare. Immutatę uero, nisi tota extrahatur, cōmouere materiem atq̄ peruertere: dispoliatā enim mori facilius posse cōsentaneum potius dixeris. Māli tamen atq̄ antēnæ medulla exempta incōmode relinquūtur: sed hoc per accidēs, quoniam plerisq̄ uestitur tunicis: sed fortissima, tenuissimaq̄ postremā pars est, siccissima enim: atq̄ ita ex reliquis quæq̄ ad portionem existimari utiq̄ debet: ergo scissa materie, siccissimis illis tunicis medulla dispoliatur. An uero sicci ratione medulla cōstet, quærendū. Materiam autē dum trahitur tam fissam, q̄ sectam peruertet, si id nō ut oporteat, secetur: rectā enim fore sectionē oportet, nec ullo pacto obliquam. Exempli gratia: Si medulla per A lineā constet, haud quæq̄ per B C secandū, sed per B D: hoc enim modo medullā perire, illo uiuere posse arbitratur. Sed nullā materiem medulla carere hac existimant ratione.

In omni ligno suam inesse medullam: ac lignorum alia esse fissilia, alia dolatilia, alia rotunda: quæq; ponderi cedant, quæ non.

Caput VII



Onstat enim uel eas medullam habere, quas carere putaueris, ut buxum, celtim, ilicem. Argumentū, quod ualuarum sumptuosarum cardines facere ex his artifices solent, cumq; architecti faciundos ex medulla præcipiāt: quod item, uel omnē medullam distrahi posse, etiam durissimarum materierum, quas nonnulli corda appellant, argumento sanē accipi potest. Materiei autem (ut sic loquar) uniuersæ pars durissima, rarissima medulla est, atq; etiam ipsius abietis: rarissima quidem, quoniā neruis amplo inter se distantibus interuallo, carneq; media copiosiore constat: durissima uero, quod & nerui durissimi, & caro durissima est, qua de causa architecti partes medullæ proximiores auferendas præcipiunt, ut quod spississimum, mollissimumq; materiei sit, tantū relinquatur. Lignorum alia fissilia, alia dolatilia, alia rotunda: fissilia, quæ diuidentes per medium secant: dolatilia, quorum partes exteras circundolāt: rotunda, quæ scilicet intacta omnino relinquūt. Ex his fissilia nullam penitus rimam patiuntur, quoniam enudata medulla exiccatur atq; emoritur: dolatilia & rotunda, rimas admittunt, longeq; magis rotunda, quod medulla in his lateribus plenioribus circundatur. Haud enim quicq; ex cunctis est, quod fissura immune possit euadere. Itaq; loteis, reliquisq; quorum usus ad cardines, ne findātur, fimo illinunt bubulo, ut siccet, sensimq; diffletur, atque euaporetur humor medullæ. Vis medullæ huiusmodi est. Ponderus sustinere abietem ualide, & pinum (nil enim ponderi cedunt, ut robur, & reliquæ terrenæ, sed renituntur) argumentum, quod nunq; rumpuntur, sicut olea, & robur: sed prius quàm uiribus, carie, aliæque deficiunt. Palma quoq; præualida est, & in diuersum, quàm cæteræ incuruat: quippe cum reliquæ omnes in inferiora flectantur, palma e contrario fornicatim se flectit. Quin & pinum, atq; abietem reniti affirmant. Iuglans frangi se sonitu prænunciat: est enim uel eius materies ampla, ususq; ad opus tectorium, ita ut præsentire homines possint: quod & in Antandro accidisse, omnesq; e balneis terrefactos profugisse traditum est. Valida etiā ficus, sed in rectum pertendens. Pinus omnium ferè maxime uiribus ualet, & ad usum ædificatorium spectabilis eadem potissimum est, laxitatis, rectitudinisq; meatuum causa. Hanc enim ne findi quidem ullo pacto posse affirmant, si glutine muniatur. Obediētissima philyca est, candorq; ei celastri modo. Tilia inter reliquas præcipue talis est. In totum enim præfacilis operibus est, præ sua mollitia, ut retulimus. Flecti facile possunt (quoad simplicē reddere rationē licet) omnes, quæ lentæ sunt: sed moro, atq; caprifico primatus indubie datur. Quamobrē furculas, circos, deniq; ornamento quæcunq; fieri soleant, hisce conficiunt.

Quæ facile, difficileq; secantur, terebrenturq;: quæq; torno sculpturæq; conueniant: quæ humidissima, quæ nauibus aptissima sint: quæ tectis, & plerisq; alijs commodissima, ut abies, pinus, cedrus, picca, robur, tilia, acer, carpinus, taxus, ilex, scissima, ulmus, buxus, potulaca, iuglans, terebinthus, philyce, aphaarca, celastrus, laurus, salix.

Caput VIII



Ecantur, findunturq; facilius, quæ humidiora capiūtur, quàm ut siccissima sint: altera enim cessant, altera constant. Quæ uero nimis uiridia sunt, hæc admodum coeunt, segmentaq; inter dentes ferrarum admittunt, implentq;. Qua de causa dentes alterna inclinatione fabri permutāt, ut sponte educi possint. Sunt & terebratu difficiliora, quæ nimis uiridia. Terebramenta enim, ut ponderosa expui haudquaq; celeriter possunt, siccorum e diuerso celeriter. Aer enim feruefactus confestim expuit. Rursus difficile leuia, & sicca secantur: euenit namq; ut ueluti fictili sectio inferatur. Quamobrē

obrem lignis perforandis aquam infundunt. Securi, torno, sculpturæq; faciliora, quæ uiridia: quippe cum ferrum magis insidat, hæreatq; nec quicq; resiliat: securis quoq; molliorum, sculpturæq; expeditior, leniorq;. Quin & cornus ualidissima est; reliquas ulmus uiribus suis facile uincit; qua de causa cardines (ut dictum est) foribus ulmeos addunt. Humidissima fraxinus, scissimaq;: lectulos enim cedere aptos ex his conficiunt. Ad summam, quibus quæq; materies commoda, & quæ nauibus, ædibus uel idonea (nam huiusmodi usus plurimus, summisq; operibus adhibendus est) explicare tētabimur. Quantū commoditatis singula fortiantur, pro uiribus aperiemus. Abies, pinus, cedrus (ut summam contingam) constāt aptissimæ nauibus: 10 triremes enim atq; longa nauigia, ex abiete, leuitatis gratia faciunt. Rotunda uero ex pino, quoniam non putrescat. Nonnulli etiā triremes ex eadem condunt, quod abiete carent. Qui Syriam, Phœnicemq; incolunt, cedro utuntur, quia pino etiā egent. Cyprii picea: hanc enim illa insula habet, uideturq; pino præstantior, & cætera quidem ex his: carinam uero triremibus quernam subiiciūt, ut cum in terram attrahitur, resistere possit. Nauibus onerarijs, pineam, atq; etiā quernam subiungunt, cum extrahendas ædificant: minoribus uero scissima deputata est: atq; in totum ex hac testudinem condere assolent. Nec pino, atq; abieti quercus cōglutinari ualeat, altera enim spissa, altera rara: & altera similis, altera minus. Affectus autē similis ea esse oportet, quæ sociari, conflariq; debeant, nō contrarij, ceu si ligno lapidem 20 coniungere uelis. Tornatus nauibus rotundis ex moro, fraxino, ulmo, platano: lenitiam enim, firmitatemq; adesse oportet: sed deterrimus, qui ex platano fuerit, celeriter enim putrescit. Sunt qui triremibus uel ex picea leuitatis causa tornandum statuunt firmamentum: testudinem, & auriculas ex fraxino, moro, ulmoq; fabricant: ualida enim hæc esse oportet. Hæc ferè naualis annotatur materies. Sed tectis commoda, copiosior est: abies enim, pinus, cedrus, iuniperus, utq; in plenum referam, commoda unaquæq; materies est, præterq; si qua firmissima penitus constet. Non enim quæq; operi eidem accommodatur, quemadmodum nec in nauium fabrica. Reliqua materies artium proprijs redditur: exempli gratia, uasis ac instrumētis, & si quid aliud eiusmodi habeant. Sed ad plurima penè usum abies præstat, quippe 30 quæ ad tabellas etiā accommodari pictorias possit. Aedificijs itaq; optima, quæ uetustissima, modò immunis carie sit. Operibus enim (ut ita dixerim) omnibus ædificatorijs aptissima est, sed nauibus propter flexum humidior capiatur necesse est: Nam ad conglutinationem quidē sicciore aptior est. Nauis enim compacta, ut extra mare fidelior cōstat: & in mare protracta humore inbibito, se undiq; protinus comprimit, atq; rimis coniunctis omnibus continuat: nisi quicquam penitus exaruerit, tunc enim gluten aut omnino aspernatur, aut non æque recipit. Sed iam particulatim materiem, quæ cōmoda sit capiamus oportet. Abies & pinus (ut proposuimus) & domibus, & nauibus, & alijs plerisq; commodissimæ sunt: sed plura abies expedit. Piceæ usus quidē ad utrunq; opus, & maxime ad nauale, sed putrere celeriter 40 incipit. Robur tam nauibus, quàm domibus commodum: nec non & in terra obrutum durat. Tilia foris nauium longarum, & arcarum, mensurarumq; fabricæ expendenda est. Habet etiā corticem funibus cuiusq; per commodum. Acer, & carpinus, lectis, iugisq; iumentorum, atq; in totum operum sumptuosioribus ceditur. Taxus tenuifecilia conglutinamēta capsis, scrinijs, subsellijs, atq; in totum similibus præstat. Ilici honos ad axes plaustrorū uerticis simplicis, & iuga lyrarū, psalteriorumq;. Scissima ad plaustrorum, uectabulorumq; uilem fabricam. Utilis ulmus ad fores, præla, & torcularia: quin & ad carpentariū opus, sed mediocriter. Buxus ad axem plaustris, & ad burem aratris. Potulaca mulieribus ad opus textorium. Iuniperus ad rem ædificatoriam tum subdiualem, tum obruedam sub terram. Durat enim im

munis putredine: pari modo & iuglans. Quinimò omnium præcipua operi subterraneo redditur. Est & buxi usus ad nonnulla: quæ tamen monte Olympo prouenit, ob suam breuitatem, nodositatemq; extat inutilis. Terebinthus non nisi fructu, resinaq; utilis. Neq; philycæ honor, præterquam in alēdo pecore: semper enim fronde abundat. Apharca uallis expetitur, & ad urendum commoda est. Celastri usus ad baculos. Quidam etiam laurum addunt: seniles enim, & pulchros, & præles baculos ex hac faciūt. Salicis ad scuta, cistellas, canistra, & eiusmodi reliqua. Reliquas quoq; arbores singulatim persequi pari modo possumus.

Quæ quibus instrumentis conueniant. Cedrosq; in Syria præstantissimas, ac tredecim passuum longitudinē fuisse earum, quæ ad undecimem Demetrii regis cæsa. In Corsica arbores amplissimas, magniq; discrimine cæteras excedentes. Romanos in Corsicam profectos condendi oppidi gratia, & destitisse ob uastarum arborum multitudinem, ex ijsq; ratem ædificasse quinquaginta uelis ducendam. Item de Latino agro, & monte Circeo.

Caput IX

Non ad instrumenta fabrilia digestio singulis fieri potest: ut, malleolus & terebra ex oleastro optime fiunt: quanquam & buxeis, ulmeis, fraxineisq; utuntur. Malleos magnos ex picea faciunt: simili modo & reliquarum cuiq; opus quoddam tribuitur: sed hæc pro usu discerni desiderant. Materies autem unaquaq; pro loci natura (ut etiam prius retulimus) suam obtinet differentiam. Nam alibi celtis, alibi cedrus miranda assurgit, ut uidere in Syria licet. Illic enim cedri in montibus, cum longitudine, tum crassitudine præstantissimæ exeunt: quippe adeò crassescūt, ut sint, quas ulnæ hominū quatuor nequeant amplecti: addūt his ampliores pulchrioresq; comperiri in hortis. Quod si quis sinat nec cædat, mirum in modum quodq; arborum genus, modò sibi proprium habeat solum, ex crescere posse uidetur. Itaq; quod in Cypro reges cum ex imperitia, tum ex transuehendi difficultate, nunquam materiem cæciderint, longitudo ijs, quæ ad undecimem Demetrii regis cæsa sunt, passuum tredecim. Ligna autem mirifice procera, enodia, leuia, sed amplissima magnitudine arbores, magniq; discrimine cæteras excedentes nasci in Corsica produunt. Quamuis enim in Latino agro, pini, & abietes tum magnitudine, tum pulchritudine, inter omnes Italicas præsent, tamen ad earum rationem, quas Corsica gignit, pro nullo certe habentur. Romanos enim aliquando cōdendi causa oppidi in eam insulam nauibus quinque & uiginti profectos, tam uastis arboribus locus dicitur excepisse, ut nauigantes per sinus quosdam, & portus, nexus, densaq; mâlos perscinderent: & omnino insula tota confertissima, & quasi efferata immani arborū turba spectaretur. Quamobrē Romanos à condendo oppido destitisse aiunt. Sed nonnullos ingressos, breui ex loco tam largam cæcidisse materiem, ut ratem perconderēt quinquaginta uelis ducendam, quam in pelago perijisse addunt. Corsica igitur seu ratione laxationis, seu etiam telluris, cœliq; uirtute locis plurimū cæteris præcellit. Latinus autem ager aquis totus abundat, & plana laurum, myrtumq; habent, scissimamq; mirabilem: tanta enim longi-
tudine cæditur, ut pro carina Hetruscis nauibus possit sufficere. Montuosa pinum, & abietem ferunt. Circeum uero, quod uocant, excelsum quoddam promontorium tradunt frequentissimum arborum, & robore, lauro, myrtoq; maiore ex parte scatens. Circen in eo habitasse incolæ referunt, & tumulum Elpenoris monstrant, apud quem myrti proueniunt modo coronarij generis, cum cæteræ ampla exeant magnitudine. Insulam antea Circeum istud fuisse notatur: nunc enim à fluuijs quibusdam exaggeratum, factumq; littus est. Magnitudo insulæ circiter octoginta stadia. Sed pro locorum proprijs, permulta magnaq; exultant discrimina, ut sæpius diximus.

Quæ

Quæ ad usum ignarium, adq; carbones conficiendos commodæ: quæq; fumosæ sint, & quarum fumus acerbissimus. Item quo modo fumo immunes euadant, flammamq; mollissimam faciant. De atragena, & cur statua e cedro sudent. Materiem item oleagineam, uel sæpe laboratã germinare.

Caput X



Vo autem pacto sese ad usum ignarium quæq; materies habeat, dicendum nunc est, exploratumq; habere conandum. Ergo carbones optimos spississimæ materies faciunt, ut aria, robur, arbutus: solidissimos enim ita, ut diuturniores, efficacioresq; sint. Quæ de causa in metallis argenteis hisce ad decoctionem primam utuntur. Sed deterrimi inter eos, roboris, quod terrestriores. Vetusioris arboris, & potissimum annosæ, deteriores, quàm nouellæ eadem de causa sunt: summa etenim siccitate constant, ideoq; cum ardent, dissiliunt: humoris nanque aliquid habeant, oportet. Optimi, quos ætate uigens materies fecerit. Sunt enim spissæ, terrenæ, humidæq; naturæ temperatiores: commodiores etiam, qui ex apricis, siccis, aquilonijsq; quàm qui ex umbrosis, humectis, austrinisq;. Generis item siccioris quantum spissius est, carbonem præstat commodiorem: quo spissius enim, humidius est: atque in totum, ordinis uel natura, uel loco siccioris pars spissior, commodior eadem de causa est: usus uero diuersorum diuersus. Quibusdam enim operibus molliores expeti solent, ceu ferreis metallis, iuglans, cum iam exarserit: & argenteis, qui confecti ex picea sunt. Quinetiam artes carbones suos desiderant. Et quidem excusores pineos potius quærunt quàm quernos, quanquam infirmiores sint: ad flatum enim respondent commodius, quoniam minus marcescant, extinguanturq;. Est autem flamma eorum celerior. Deniq; rarorum, & leuium, & aridorum tam carbonum, quàm lignorum acutior est: contra spissorum, & humidorum, lentior atque crassior. Omnium acutissimam humilis reddit materia, sed carbones nullos relinquit, eo quod corpulentia caret. Cædunt, componuntq; ad carbonem conficiendum, quæ recta & leuia sunt: enim uero quam densissime componi ad concremationem oportet. Cum uero fornacem circum accenderint ignem, ueribus interpungentes transmittunt, flammamq; penitus excitant omnibus corripicendis. Hæc quærere ad carbones solent. Fumosa genere quidem uniuerso, quæ humida sunt. Et uiridia quoq; fumosa eadem de causa experimur. Humida inquam, quæ palustria, ut platanus, salix, populus: nam & uitis fumosa dicitur humida est. Palma suapte natura fumosa est. Ex quo illud Cheremonis carmen: Palmaeque uenas usque fumosissimæ radice natas. Fumus acerbissimus, fici, caprifici, & cuiusq; lacteo succo humentis: causa humor est. Hæc tamen decorticata, & aqua superinfusa madefacta, deinde siccata, omnium maxime immunia fumo euadunt, flammamq; mollissimam faciunt: utpote cum proprius quoque, innatusq; humor exemptus sit. Quinetiam cinerem eorum, lixiuamq; acrem sentimus, ac præcipue amygdalæ: quanquam ad fornaces, artesq; reliquas commoda percipiatur. Ad ignem excipiendum aptissima ficus, olea q;. Ficus, quia lenta, & rara corpore: fit enim exinde ut facile attrahat, nec quicquam dimittat. Olea, quia spissa & pinguis. Fomites tametsi ex multis fieri possint, tamen optimi, qui ex nuce, ut Menestor est autor: celerrime nanque, largissimeq; respirant. Ignaria commodissime capi ex atragena uocata existimant. Arbor hæc uitis, & labruscæ similis surgit: modo enim illarum arbores scandere solita est: sed conceptaculum ex hac, terebrum uero ex lauro faciundum censent. Non enim ex eodem quod agat, quodq; patiat, sed e diuersis accipiantur: & alterum efficiendi, alterum patiendi uim obtineat, natura protinus exigit. Cæterum uel ex eodem nonnunquam cõficiunt: nec desunt, qui nihil referre arbitrentur: commoda etiam ex rhamno, quæ quidem uel conceptaculum præbere idoneum potest. Non enim

tantum humore exinanitum, arefactumque, sed etiam rarum esse oportet, ut attritus efficacior esse possit. Terebrum pati pertinacius esse debet: qua de causa laurum faciunt: id enim pro sua acrimonia ualētius resistens, opus commodius expedit. Quin & ex rhamno, ilice, tilia, & ferē plurimis id fieri solet, præterquam ex olea: quod certe absurdum putaueris: oleam enim duriores, pinguioremque esse constat. Sed hæc ob immodicum scilicet humorem inepta redditur ad ignitionem. Quodque autem genus ignariorum aquilonijs flatibus ignem ocys, magisque concipit, austrinis minus: & locis æditis, atque sublimibus magis, quam concavis. Cedri materies nata est humorem emittere, & in plenum omnes quibus oleosus est humor. Quamobrem deorum statuarum uisæ sunt aliquando sudasse: ex his enim con-
dere eas consueuere. Quod autem Lucinam appellant, & sacrificijs obseruandum aruspices iubent, concreto quodam humore, extuberat, magnitudine piri, aut paulo maius, minusue. Germen potissimo citat materies oleaginea cum rudis, tum sæpe laborata in opus, si quem humorem sentiat, locumque habeat humectum: ut iam cardo quidam ualuarum prodatur germinasse, & poculum limo iniectum.

HISTORIAE PLANTARVM LIBRI
QVINTI FINIS.

THEOPHRASTI DE HISTORIA
PLANTARVM LIBER SEXTVS.

De suffruticibus, herbisque, ac frugibus: tum quæ maxima omnium generum differentia, deque aculeatis herbis, & quod tribuli proprium: item quibus desit aculeus.

Caput I



DE ARBORIBVS atque fruticibus dictum iam est, nunc de suffruticibus, & herbis doceamus, cōsequitur: & si qua in hisce alia genera comprehenduntur, illa quoque adnotemus oportet, ut fruges: nam hæc quoque inter herbas deputari desiderant. Sed primum uerba de suffruticibus faciamus: id enim genus propius ad prædicta accedit: quod nimirum surculosum assurgat. In omnibus fortē plantarum generibus, syluestre semper urbano copiosius est, uel si id minus cæteris constet: in natura quidem suffruticum ita proculdubio esse fateri conuenit. Pars enim exigua hoc in genere urbana notatur, quæ coronarijs penē consumetur: ut rosa, uiola, Iouis flos, sanfucum, elium: item serpyllum, silybrium, helenium, abrotonum: hæc enim omnia surculosa, minutisque condita folijs constant, fruticesque proinde redduntur. Item etiam in olerum genere simili ratione sentitur: exempli gratia: Radix, ruta, quæque similia, de quibus
haud minus fortē secundum propriam appellationem dixisse conueniet, cum mentionem coronamentorum, atque olerum faciemus. Nunc de syluestribus primum dicendum est. Horum igitur species, partesque plures, cum singulis generibus, tum totis speciebus existunt, quas utique discernamus oportet. Sed maximam cunctorum generum acceperis differentiam, quod alia sine aculeo, alia aculeata. Et rursus in eorum utroque permulta generum, specierumque discrimina constant, de quibus iam referre tentandum est. Ergo aculeatorum alia ex toto aculei sunt, ceu corruda, & nepa: hæc enim nullum iuxta aculeum folium gerunt. Alia folijs constant aculeatis, ut acanum, eringium, cnecum: hæc enim atque similia in folijs aculeum gerunt.